

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad descendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](#)

Dominica I. Adventus.

annum adeo benignitate sua coronavit, Ps. 65.v.12. ut areae impletæ sint frumento, & redundant torcularia vino, Joel. 2. v. 25. Deus exaudivit cœlum, & cœlum exaudivit terram, & terra exaudivit triticum & vinum, quæ nos filios gratiæ exaudirent. Of. 2.v.21.

Præterea verbum Dei purum, cum vero usu Sacramentorum habemus, quod melius est cunctis opibus preciosissimis, imo margaritis, & omne desiderabile ei non potest comparari, Prov. 8.v.11. Hæc non aliter intueri & considerare debemus, ac si Christus corporaliter ad nos venisset, cum thesauris gratiæ suæ. Sed indignis modis ille accipitur! Tantum enim abest, ut hic vel ille Christo vestimenta sua substernat, ut potius & tunicam ei exueret. Hæc mundi hodierni devotio est!

Cum tabernaculum in V. T. extrudendum esset, quilibet de facultatibus suis aliquid ad idem conferre tenebatur. Quod quoque sponte offerebat populus, ut Moses jussit tandem præconis voce cantari: ne ultra offerrent quicquam in oblationem sanctuarii. Exod. 16.v.5.

Hodie liberalitas hæc plane desit, pluri potius ad se se rapiunt, quicquid possebunt. Sed nefanda ingratitudo hæc est. Quia enim nihil à nobismetipsis, sed omnia potius à Deo accepimus, ideoque fas erit, cultum Dei hoc ipso sponte promovere, & nihil intermittere eorum, quæ Christo, ad nos ingredienti, viam sternere possint. Ideo enim Dominos fontis nos constituit Deus, ut in plateas rivuli aquarum deriventur, Prov. 5.v.16.

Sic & laudis sacrificium sordet, quo Christus hodie excipitur. Si maledictio esset gratiarum actio, tum non pauci forent, quideo

sacrificia sua litarent, eò enim res rediit, ut merito cum Augustino quærendum sit: *Plura sunt iuramenta, quam verba.* Hoc ipso vero filius Dei non laudatur, sed denuo crucifigitur, Hebr. 6.v.6. *Non enim minus peccant, qui blasphemant regnante in cœlis, quam qui crucifixerunt ambulantem in terris,* ut Tertullianus ait.

Pii Christiani Hosanna suum Christo accinere, eidemque cum hymno exultationis & gratiarum actionis occurrere debent, hunc circiter in modum:

*Hospes veni gratissime, Salve hospes optime,
Nos visitans a lumine, Sons haue temptus late
Non despici molestias, Et ad venis in terras haes
Qui lito dignas gratias! Euas ag am tibi grata!*

*Wish willkommen du edler Guest!
Den Gouver nicht verschmähet hast/
Und komst ins Elen her zu mir/
Wie soll ich immer danken dir.*

Hoc placebit Deo super juvencum, cornua producentem, & ungulas, Psal. 69.v.32. Ps. 50.v.23.

De Secundo.

*PERGEMUS NUNC AD ALTERAM PARTEM X. Q150-
2 VESTIA, SIVE NOTITIAM DOMINI NOSTRI IESU
CHRISTI, MEDITATURI. HIC PROPONITUR NOBIS
IN EVANGELIO HOC NOSTRO:*

1. *Tanquam absentium contemplator.* Eminus enim asinam cum pullo videt, & non videt quid possessor eorum, discipulis dicturus sit.

Idem plus simplici vice probavit. Nathanaëlem vidit sub ficu, Joh. 1.v.48. Sciebat, quot viros mulier Samaritana habuerat & quod, quem tunc habebat, non sit vir ejus, Joh. 4.v.18. videbat hominem cum hydria fictili, Marc. 14.v.13.

A 3 Ad-

Dominica I. Adventus.

Adhuc hodie exploratum nobis haemus, nihil adeo clandestino fieri posse, quin sciat omnia, Joh. 16. v. 30. videat omnia, Sir. 23. v. 28. audiat omnia, Ps. 94. v. 9. tanquam Dominus, scrutans cor, & probans renes, Jer. 17. v. 10. & sciens, quid sit in homine, Joh. 2. v. ult.

Reges mundani plerumque oculis alienis cernere, & auribus alienis audire coguntur. Multa eveniunt in ditionibus suis, quæ abstrusa ab ipsis manent, & subditis in nocumentum cedunt. Idcirco L. Torquatus, tercia vice in consulem electus, hoc ipso se excusabat, quod caligine oculorum laboraret, dicens: *Iudignum esse, Remp. ob fortunas civium ei committi, qui alienis oculis uti cogeretur.*

Sed Rex gloriae noster Jesus, nullis alienis oculis indiget, sed videt propinqua & remota, omnia sunt nuda & aperta oculis eius, Heb. 4. v. 13. sunt enim multo plus lucidiores super solem, Sir. 23. v. 28.

Hoc in nostrum solarium vergit. Si in angustiis versaris, & quidem tantis, ut ignoreas, quid agere debeas, ut rex Josaphat, 2. Chron. 20. v. 12. conclusus es in cœco carcere, uti Josephus, Gen. 39. v. 20. Sive sedes inter leones, uti Daniel. c. 6. v. 16. sive navem frangis, uti Paulus, Act. 27. v. 41. Sive alio quoque modo vexeris, noli desperare! sed solarium quære in perspicacissimis oculis regis tui: scit operatua, & tribulationem tuam, Apoc. 2. v. 9. Videlaborem, & afflictionem, Psal. 10. v. 13. audit clamorem, quem ex corde moesto ad eum ablegas, Ex. 3. v. 9. Et quando hora ejus veniet, Joh. 2. v. 4. justo tempore videbit violentiam, Ps. 55. v. 10. Ps. 33. v. 14.

Sed & horrendum est! Reperiuntur

homines in diem viventes, & cum peccato jocantes, Prov. 14. v. 9. Non enim credunt Deum observantem se esse, ideo dicunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob, Psal. 94. v. 7.

Sed ô stultitiam! Rex noster videt hic a-sinam cum pullo, quidni magis homines respiceret, quos ad imaginem creavit, Gen. 1. v. 10. Nunquid ipsi de bobus cura est? querit Paulus, 1. Cor. 9. ideo vir insipiens sit, necesse est, qui celare opinatur consilium à Domino, Hiob. 42. v. 3. Cognoscit sessionem nostram & resurrectionem nostram. Intelligit cogitationes nostras de longe, Psalm. 139. v. 2. 3. 4. Quod si itaque sapi, mi Christiane! pone Dominum in conspectu tuo semper, Psalm. 16. vers. 8. & ut Poeta canit: Turpe quid ausurus te sine teste time.

Deus enim ubique præsens est, & videt, quæ nullus hominum cernit. Dienovissimo omnia in apricum producet, ne otioso quidem verbo except, o Matth. 12. v. 36.

II. *Tanquam omnium Dominator.* Hoc luculento exemplo probat, quando discipulis suis mandat: *Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite & adducite mihi, & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, & confessim dimittet eos*

Hic quatuor Imperativi occurruunt: Ite enim in castellum, inquit Dominus, quod contravos est. Deinde ait: Solvite asinam cum pullo. Tertio, adducite mihi, tanquam Domino, qui omnibus creaturis imperare potest, & si quis ideo interpellabit vos, dicite, Dominus his opus habet:

Sic

Dominica I. Adventus.

7

Sic confestim, sine ulla tergiversatione di-
mittet eos.

Ecce! Dominum potentissimum, qui
omnia in manu sua habet, & ad obsequium
suum flectere potest. Sir. 40. v. 33, &
seqq.

Servator noster est Rex Regum & Do-
minus dominantium, Apoc. 9. v. 16. cui
Pater cœlestis omnia subjecit sub pedibus
ejus, Psal. 8. v. 7. 8.

In nuptiis Cananæis aquam in vinum
transmutabat Joh. 2. v. 9. deinde ambulabat
in mari, ut in terra, Matth. 14. v. 25. Peri re-
tia piscibus replebat, cum antea, per totam
noctem laborans, nihil ceperat, Luc. 5. v. 5.
Quin imo, cum in mari motus magnus fa-
ctus esset, vel verbo illud sopire poterat ho-
minibus mirantibus, & dicentibus: Qualis
est hic, quia venti & mare obediunt ei,
Matth. 8. v. 25. Et cum vecligal pro se &
Petro soluturus esset, Petrus hamum in ma-
re mittere jussus inveniebat in primi piscis
ore staterem, quem pro eo & se dabat.
Matth. 17. v. 27.

Quodsi virtute haec prædictus fuit in die-
bus carnis suæ: quanto magis præstabat hoc
ad dexteram Dei Patris exaltatus, super o-
mnem principatum & potestatem, & virtu-
tem & dominationem. Eph. 1. v. 21. 22.

Notent hoe, I. Impii in emendationem.
Securi Epicurei subinde cogitant tantis se
viribus nisi, quibus se adversus Deum tueri
possint, ut Deus ipsos punire nequeat. Sed
d' stolidi! quis unquam impune abiit, qui
Deo se opposuit? Si exaltatus fueris, ut aquila,
& si inter sidera posueris nidum tuum:
inde detrahā te. Obad. v. 4.

Hatto Archiepiscopus Moguntinus, à
mūribus consumptus est, ob immanem tru-

culentiam, quam in subditos suos exercuit:
& quamvis in flumine Rheni turrim sibi
exstrui fecerit, cuius adhuc hodie vestigia
videri possunt, putans, se ibidem securum
futurum: attamen mures gregatim ipsum
insequiti sunt, vindictam divinam in eo per-
ficientes.

Cananæi per crabrones de locis suis eje-
cti, Joh. 24. v. 12. Antiochus & Herodes
à vermicibus consumti sunt, 2. Maccab. 9. v.
9. Act. 12. v. 23.

Idem adhuc hodie præstare potest. Ec-
quemadmodum omnes viæ ejus paratae
sunt: sic etiam judicia sua in providentia sua
posuit. Judith. 9. v. 5. Punit ille, per An-
gelos malos æque ac bonos. Punit per ho-
mines amicos æque ac inimicos. Punit
per cœlum ac terram. Si ipse vult, cœlum,
quod supra nos est, æneum: & terra, quam
calcamus, ferrea fiat oportet, Deut. 28. v.
23. Punit per ignem, æra & aquam; punit
per bestias & varia insecta; punit per bellum
annonæ caritatem & pestilentiam, & ut
summatim dicam: Nunquid est numerus
turmarum ejus? Hiob. 25. v. 3. Omnibus
vero pœnis hisce nihil efficientibus, punit
igne infernali, qui nunquam extinguetur.
Esa 66. v. ult.

2. Pii in consolationem. Quia enim cœle-
stis Rex noster, Dominus est omnipoten-
tissimus, cui cœlum & terra, sol, luna & stel-
la, imo omnes creaturæ servire coguntur,
ideo neutquam diffidere ipsi debemus: Si-
quidem omnis creatura ad suum genus de-
nuo refiguratur, deserviens ejus præceptis,
Sap. 19. v. 6:

Ipsa maria exsiccare potest, & dividere, ut
per medium mare iter pateat, Exod. 14.
v. 22. Ipse solem sistere potest, Joh. 10. v. 13.
ut una dies fiat, sicut duo. Sir. 46. v. 5.

Ipse

Dominica I. Adventus.

8

Ipse ignivim comburendi adimere valet ,
Dan. 3.v. 27.

Ipse conclusit oraleonum, ut non nocuerint Danieli, Dan. 6.v. 22. Balænz manda-vit, ut deglutitum Jonam rursum indeminem evomuerit, Jon. 2.v. 1. II. Corvos jussit, Eliæ panem & carnes deferre, 1. Reg. 17. v. 6.

Cape hinc solarium, mi Christiane ! Ser-vator enim tuus adhuc hodie & que dives est, ac fuit ab æterno. Dictum ejus est factum Ps. 33.v. 9.

III. Tanquā cordium inclinator. Hic enim Servator, cor possessoris asinæ utut absens, ita flectere novit, ut eam sibi haut invituis in dulgeat. Hoc infallibile argumentum est, quod Rex gloriae noster, non nudus homo sit: sed simul ille Jehova , de quo scriptum est: Sicut rivi aquarum , ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud, Prov. 21.v.1.

Jacobum in patriam redditurientem , La-ban persecutus est septem diebus, ut noce-ret ei : Sed Dominus cor ejus immutavit , ut nihil aspere loqueretur contra Jacob, Gen. 31.v.24. Prov. 16.v.7.

Josephus servus erat divenditus, sed Do-minus cor Potiphar flectebat , ut gratiam inveniret coram eo , à quo præpositus o-mnibus, gubernabat creditam sibi domum, & universa, quæ tradita illi fuerant, Gen. 39.v. 4.

Achab Rex persequebatur Prophetas Domini , sed Dominus Abdiæ cor flectebat, ut absconderet de Prophetis Domini centum viros , quinquagenos & quinqua-

genos in speluncis , & pasceret eos pane & aqua, 1. Reg. 18.v. 13.

Judæos omnes cum uxoribus & liberis trucidari iusserrat Ahasverus : sed Dominus immutabat animum ejus, ut ad intercessio-nem Esther edictum illud sanguinarium revocaret, Esth. 8.v.9. & seqq.

Quomodo Imperatoris, Regum & Prin-cipum corda hoc nostro tempore moverit, ut depositis armis pacem illi amplexi fue-rint , in propatulo est , nec eget longa verborū commemoratione ! Vere à Domi-no factum est istud : & est mirabile in oculis nostris, Psalm. 111.v.23.

Confidamus ulterius potentissimo huic Reginostro, & cum Davide oremus: Inclina cor meum ad testimonia tua , & non in avaritiam, Psal. 119.v.36. Sive ex Psal. 51.v. 12. Cor mundum creain me Deus. Sic Dominus virtutem populo suo dabit, Do-minus benedicet populo suo in pace , Psal. 29. v.ult. Inclinabit super nos misericordiam suam , Esdr. 9.v. 9. Inclinabit quoque celos , & cum auxilio descendet, Psal. 144. v.5. Voluntatem enim timentium se facit, & depreciationem eorum exaudit, & salvos fa-cit eos. Psal. 145. v.19. Hoc ab initio mun-di fecit, quis enim invocavit illum, & despe-ctus est ? Sir. 2. v. 12. Idem adhuc facit, miserationes enim diluculo novæ, Thren. 3. v. 22. Et porro facturus est. Quo-niam prævaluuit super nos misericordia ejus, & fidelitas Domini manet in æternum.

Psalmo 117. v. 2. Amen, Alleluja!

Laudate Dominum ! Amen,

Amen.

DO-